Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 977
Quelle:
Copyright:

et a te repletur angelica cum humana creatura. Lege ſecundo loco *natura. Severius quoque mala eorum corrigere, quam male ſana* &c. rectius Codex *errores eorum. Itidem coeleſtium negotiator mercedum,* Codex bene interſerit *idoneus;* male autem uterque *mercedum;* ego enim *mercium* ſcripſiſſe *Petrum* putem.

III. *fol.* 42. *Bernhardus de debitore quadruplici.* Initium: *Si cognoſceres tu quam multa et quam multis debeas* &c. Finis: *nec minime parti debitorum ſuorum ualeat reſpondere.* Eſt *Sermo XXII. de Diverſis* mulctatus initio usque ad *n.* 5. et ultima particula. Extat edit. *Maur. Opp. Vol.* I. T. 3. *col.* 1127. et quanquam ibi inſcribatur: *De quadruplici debito,* liceat tamen queri de *Indicibus* hujus Edit. 1690. in quibus neque *Debitor,* neque *Debitum* occurrit, et Elogium *Coeleſtis Fiſtulae,* quod *Bernardus* dedit *Ambroſio,* quaerere jubemur *col.* 11. dum *col.* 1129. legitur.

IV. *fol.* 44. *Incipiunt quatuor omelie.* Sed tu noli credere; *duae* enim modo ſunt, et prima quidem *Gregorii M. Sabbato quatuor Temporum* ſeu *ante Natiuitatem Domini* in illud *Luc.* c. 3. *Anno quinto decimo imperii* &c. quae incipit: *Redemptoris noſtri precurſor quo tempore* &c. et habetur L. I. *Hom.* 20. edit. *Maur.* T. I. *col.* 1516. f. Altera vero *in Vigilia natalis domini* in illud *Matth.* c. 1. *Cum eſſet deſponſata* &c. *Origenis* hoc initio: *Que fuit neceſſitas, ut deſponſata eſſet maria ioſeph, niſi propterea quatenus hoc ſacramentum dyabolum celaretur* &c. *Hieronymus* L. I. *Comment. in Matth.* c. 1. autorem hujus opinionis *Ignatium* Mart. facit. Ab illo mutuatus videtur Autor noſter latinus; neque enim *Origenis* ſunt X. illae *Homiliae de Diverſis*, quarum chorum ducit Noſtra, collectae primum ab *Merlino*, et repraeſentatae a *Genebrardo* in *Origenis Opp.* v. g. Edit. *Pariſ.* 1619. P. II. p. 274. Adi *Pet. Dan. Huetii Origeniana* in *Append.* L. III. impreſſa etiam ad calcem Edit. *Maur. Opp. Orig.* T. IV. *Pariſ.* 1759. f.

V. *fol.* 53. p. 2. *Epyſtola Bernhardi Abbatis Clareuallis*, nempe ad *Wilhelmum* Abb. S. *Theodorici*, et mox: *Liber abbatis Clareuallis de gratia dei et libero arbitrio.* Epiſtola init: *Opuſculum de gratia et de libero arbitrio* &c. Liber ipſe: *Loquente me coram aliquando* &c. et extant Edit. *Maur. ſuprac. Vol.* I. T. II. *col.* 603. Varia ſunt, in quibus lectio diſcrepat, nec prorſus ſpernenda. Ita ſub initium ubi Edita: *Quid enim, inquam, tu conſulis? Da, inquit, gloriam Deo* &c. Noſter: *Quid enim, tanquam conſulens, da, inquit gloriam Deo* &c.

VI. *fol.* 70. p. 2. *Epiſtola beati Bernhardi ad Wilhelmum abbatem. liber iſte dicitur apologeticas* (ſic) *hoc eſt contra detractores.* Conciliatio magis inter *Ciſtercienſes* et *Cluniacenſes*, qui ſe invicem carpebant. Init: *Uenerabili patri* &c. *Usque modo ſi qua me ſcriptitare iuſſiſtis* &c. Extat T.